

DE IURE CANONICO IN VITA ECCLESIAE EIUSQUE ADAPTATIONE SUB LUMINE LEGIS NOVAE ANNOTATIONES

Commissione de Iure Canonico adaptando constituta, quaesita de Ordine Iuridico Ecclesiae primo loco considerationi theologorum atque canonistarum denuo proponuntur. Hac enim ratione summa lineamente totius problematis Iuris Canonici in vita Ecclesia quadamtenus enucleare, et quidem non ad modum investigationis accuratæ scientificæ, sed fundamentalis enuntiationis, opportunum visum est.

1.—*De Ecclesiae dynamismo.*

Ecclesiae dynamismum, quod est Corporis Christi in terris, in duplici ordine communicationis constat; in ordine communicationis cum Deo atque in ordine communicationis membrorum Ecclesiae ad invicem et membrorum omnium Ecclesiae ad unum Caput, secundum illud ad Col. 2, 18"... inflatus sensu carnis suae et non tenens caput, ex quo totum corpus, per nexus et coniunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei". Hoc autem Caput est ipse Christus, cuius vicem in Ecclesia gerit Summus Pontifex¹.

Etenim congregatio fidelium in statu Novi Testamenti constituitur Lege Nova seu Lege Christi, qua Novus ordo instituitur duplici realitate perficiendus:

—Gratia Dei qua consequitur amicitia hominis ad Deum et insita est homini²

—ac Norma exterius data, qua ordinatio socialis communitatis ecclesialis fundatur³.

Integer ordo Ecclesiae exurgit his elementis, quae inter se intime connexa formam essentialem existentiae Ecclesiae determinant.

Iam vero, ad conservationem huius ordinis ecclesialis interni atque socialis eiusdemque plenitudinem efficaciae supernaturalis inter fideles consequendam Sumus Pontifex tanquam instrumento ordinario suae pastoralis sollicitudinis quoad universam Ecclesiam Iure Canonico providet.

Haec autem praecipua videntur, quae explicare oportet, ut de Iure Canonico in vita Ecclesiae recte iudicetur atque naturae Ecclesiae quam maxime convenienter adaptetur. Etenim activitatis legislativæ summa principia in criteriis theologicis inveniuntur.

¹ S. THOMAS: I-II, 100, 3; II-II, 39, 1 c.

² S. THOMAS: "De Lege evangelica, quae dicitur lex nova" (I-II, q. 106-108) passim.

³ Ibid.

2.—*De ordine primario communitatis ecclesialis, prout in Gratia consistit.*

“Id quod est potissimum in Lege Nova et in quo tota virtus eius consistit, est Gratia Spiritus Sancti”⁴, cuius participatione fideles incorporantur Christo atque tamquam membra ipsius Corporis Mystici, quod est Ecclesia, vivunt. Hac enim gratia, Christi fidelibus insita, Ecclesia ordinatur tamquam ‘communitas quaedam hominum sub Deo’⁵. Propterea et ipsa Gratia traditione Lex appellatur; per Gratiam Ecclesia primarie dirigitur quad interio-rem dynamismum suorum fidelium ad finem beatitudinis aeternae⁶, atque articulus Symboli de Sancta Ecclesia Catholica primarie intelligitur de effectu Dei, secundum quod in esse Gratiae revertimur⁷. Ex gratia enim ordinatio interna Ecclesiae ad Deum procedit; hoc sensu Ecclesia, principaliter in realitate communionis cum Deo consistens, per Gratiam dicitur ordinata.

Sed praeterea Christus, fundans Ecclesiam, ad modum communitatis etiam visibilem atque socialem eam voluit esse instructam mediis quae sunt ‘sicut dispositiva vel sicut ordinativa ad usum gratiae’ atque ‘secundaria in Lege Nova’ considerari possunt⁸: ex his vero ordo institutionalis Ecclesiae constituitur et intima connexionione ad ordinem Gratiae referuntur.

3.—*De ordine secundario institutionalis communitatis ecclesialis, seu de iure divino Ecclesiae prout in Lege Nova annuntiat.*

Ex ipsa prima Legis Novae institutione Ecclesia fundatur in terris communitas socialis per Evangelium praedicandum, Sacramenta celebranda, Ministerium gubernationis pastoralis fidelium exercendum. Quibus homines vocati ad Gratiam, conservantur ad salutem convocati in Ecclesia, quae sic in terris *tanquam Corpus Christi Mysticum constituta manet*.

Hac enim ratione Ius divinum seu Ordo externus a Christo in Ecclesia statutus haec nominantur; Verbum Dei annuntiandum, Sacramenta, Officia Hierarchica ad populum fidelium dirigendum atque aliquo sensu ipsa activitas quae ex natura Ecclesiae fidelibus laicis correspondet.

Etenim, in primis, considerandum est Verbum Christi apostolis aperuisse mysteria Novae Legis atque fundamenta Ecclesiae constituisse, cum ipsis triplex ministerium praedicandi, sanctificandi ac gubernandi tribueret. Merito Paulus affirmat quod Ecclesia Verbo Dei convocatur atque generatur et similiter S. Luc. in Actis, cum describere intendit incrementum Ecclesiae, aequivalenter de extensione atque penetratione Verbi Dei loquitur⁹.

⁴ I-II, 106, lc.

⁵ I-II, 91, 4: I-II, 100, 3 et 5.

⁶ Qua ratione Gratia ab Angelico tanquam lex intelligatur, cfr. quae exposuimus in: ‘Statuta Ecclesiae’ y ‘Sacramenta Ecclesiae’ en la Eclesiología de S. Tomás (R. 1962) 45-59.

⁷ S. THOMAS, Opus. XXIII, Expositio Primae Decretalis.

⁸ I-II, 106, lc.

⁹ I Cor., 4, 15: Rom. 1, 6; Ef., 2, 20: 2 Cor. 3, 3: Act., 12, 24; 13, 49. Confr. R. LATOURELLE, Eglise et Parole, “Sciences Ecclesiastiques”, 2 (1962) 195 sgts.; R. SCHNACKENBURG, Die Kirche im Neuen Testament (Freib. 1961) 34 sgts.

Immo Verbum Dei quo Ecclesia generatur et ipsa conservare atque per legitima ministeria tradere et annuntiare debet. Exinde quod Ecclesia communitas Evangelii appellari potest et ipsius proclamatio prima norma institutionalis ad ordinem ecclesiam pertinet constituitur.

Iam vero, Verbum perfectum, quo institutio communitatis ecclesialis consumatur, sunt Sacramenta, quatenus in ipsis verbum dictum (forma) cum actione symbolica (materia) est signum efficax communicationis gratiae et visibilis communionis in Corpore Christi Mystico. Unde Ecclesia plenarie existere nequit nisi ut communitas etiam sacramentalis.

Processus iste nascentis Ecclesiae evidenter apparet Novi Testamenti notitia; praeter bonum nuntium, qui praedicatur ab Apostolis, etiam actiones sacramentales instanter, praesertim Baptismum atque Eucharistiam, ab illis exercentur, quibus communitas de die in diem semper crescit atque magis magisque evolvitur. Legitur in Actis:

“Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt; et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia. Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus”¹⁰.

Unde dicendum est quod Ordo Verbi Dei ad Ordinem Sacramentorum refertur, cuius centrum est Eucharistia; etenim adscriptio communitati ecclesiali tanquam participatio in fractione panis specificatur atque brevi tempore separatio ab Ecclesia tanquam 'excommunicatio' configuratur. Vocati per Verbum, fideles congregantur ecclesialiter per Sacramentum et Sacramentis Ecclesia tanquam communitas culturalis ordinatur¹¹.

Merito Sacramenta ad Ius divinum organisationis Ecclesiae pertinere concluditur; sunt etiam Sacramenta ordo institutionalis in Ecclesia a Christo constitutus, tanquam norma exteriusdata et in Lege Nova contenta¹².

Hunc duplicem aspectum ordinis institutionalis Ecclesiae recolentes, memorari iuvat verba Sancti Thomae qui loquitur de 'plantatione Ecclesiae per modum doctrinae et administrationem sacramentorum'¹³ atque Ecclesiam declarat 'institutam per fidem et fidei sacramenta'¹⁴. Cum vero Sacramenta ad illum ordinem publicum et sociale communitatis ecclesialis pertineant, proprie a Sto. Thoma 'Lex' etiam vocantur¹⁵, ita ut melius appareat quod est in Ecclesia quaedam ordinatio sacramentalis qua primarie ipsius dynamismum dirigitur; immo et in ipsis, ait Stus. Thomas, 'fundamentum cuiuslibet legis consistit', tum quia sacramentis communitas fidelium congregatur, tum quia principalem sphaceram activitatis ecclesialis repraesentant, quatenus Ec-

¹⁰ Act., 2, 41.

¹¹ Confr. SMULDERS, Sacramenta et Ecclesia, "Periodica", 1 (1959) 3 sgts.

¹² Doctrinam Sti. Thomae confr. in oper. cit., p. 186-221.

¹³ I Sent. D. XVI, q. 1, a. 2.

¹⁴ III, 64, 2.

¹⁵ III, 27, 1 ad 2 um.

clesia fundant communitatem cultualem, tum denique quia in Eucharistia 'bonum commun substantiale Ecclesiae continetur', ita ut totius ordinis ecclesiastici elementandem aliquando ad Sacramenta referenda sunt¹⁶.

Praeterea, baptismo constituitur in Ecclesia communitas laicorum fidelium, qui proprium statum, propriam functionem atque iura obtinent quaeque prout ex natura ipsa Ecclesiae profluunt etiam ad Ius divinum ipsius plenitudinis existentialis pertinere dicenda sunt. Cum vero haec omnia in Sacramentis propriis laicorum fidelium primarie fundentur, ad legem Sacramentorum rationabiliter reduci possunt.

Denique, quod maximi momenti est, cum ecclesialis communitas recte subiecta remanere debeat tum Ordini Verbi Dei tum Legi Sacramentorum, Christus in Ecclesia constituit Ministerium sollicitudinis pastoralis. quo Corpus Mysticum in terris existit tanquam communitas hierarchica et congregatio fidelium Christi in statu Novi Testamenti ordinate submittitur Verbo Dei atque Sacramentis et ultimo Ordini Gratiae quae iis communicatur. Hoc in ministerio Petrus eiusque successores voluntate Christi et eius vicem gerentes pro universa Ecclesia suprema curam exercent, sive personaliter sive cum collegio episcoporum in Concilio adunati. Etiam primordiis communitas Evangelii atque sacramentalis apparet tanquam communitas apostolice gubernata¹⁷.

Et quidem, docet Stus Thomas, "sicut ipse Christus Dei Filius suam Ecclesiam consecrat et sibi consignat Spiritu Santo, quasi suo caractere et sigillo, similiter Christi Vicarius suo primatu et providentia universam Ecclesiam tanquam fidelis minister Christo subiecta conservat"¹⁸.

Sic enim, praeter actiones ecclesiales proclamationes Verbi Dei atque Sacramentorum celebrationem, actio legislativa, ex qua Ius Canonicaum derivatur, in Ecclesia exercetur, qua et ipsa sive ut communitas Evangelica, sive sacramentalis sive hierarchica adaequate ordinanda est in iis omnibus quae non contenta in prima Legis Novae institutione Christus reliquit determinanda praelatis Ecclesiae ut Corpus Mysticum in terris aedificationem accipiat. Salus, proinde, fidelium in Ecclesia consequitur praeter ordinem, Verbi Dei, Sacramentorum atque ministeriorum Lege Nova a Christo constituto, etiam lege humana seu Iure Canonico, quo Ius divinum Ecclesiae completur atque explicatur.

Ex his omnibus emergit integer Ordo comunionis atque activitatis ecclesialis quo et ipse Ordo communionis cum Deo fundatur.

4.—*De ordine complementario communitatis ecclesialis seu de Legis Novae determinatione prout in Iure Canonico consistit.*

Plura vero quae pertinent ad determinationem Legis Novae sive quoad Ordinem Verbi Dei, sive quoad Ordinem Sacramentorum seu cultus sive

¹⁶ IV Sent. Dist. VII, q. 1, a. 1: III, 65, 3 ad Ium: III, 72, 12 ad 3um.

¹⁷ Act. 16, 4.

¹⁸ Contra Errores Graecorum, cap. 32.

quoad Ordinem officiorum in Ecclesia atque activitatem fidelium libere Christus permisit, qui est Novae Legis lator, praelatis Ecclesiae determinanda. Sed his in omnibus, advertit Stus Thomas, "etiam Augustinus dici esse moderationem attendendam, ne conversatio fidelium onerosa reddatur"¹⁹. Gaudet enim Ecclesia ordine institutionaliter socialiter valido atque Ius Canonicum promulgatur de his quae non sunt de necessitate salutis, sed solum ex institutione Ecclesiae"²⁰.

Iam vero, cum potissimus in Ecclesia sit Ordo Gratiae, etiam Ius Canonicum denique potissimumque ad influxum gratiae per gubernationem exteriorem in fideles ordinatur²¹. Merito, revera, dicitur finem Iuris Canonici esse salutem animarum, ex quo ipsius functionalitas pastoralis deducitur²².

Influxus autem Gratiae in Ecclesiam institutionaliter pendet ex Iure Divino, quo Ecclesia primarie socialiter ordinatur; unde Ius Canonicum naturae Ecclesiae coaptatum dicendum erit, si exigentiis Iuris Divini adaequatur eumdemque convenienter suis statutis complet atque exprimit. Sic enim institutiones legum canonicarum intendere debent ad proclamationem Verbi Dei, celebrationem Sacramentorum, functiones atque activitatem officiorum atque fidelium in Ecclesia efficaciori modo dirigendam, hominum temporumque adiunctis prae oculis habitis, ita ut Regnum Dei ubique promoveatur. Quodlibet proinde obstaculum legum ecclesiasticarum ut Ius divinum efficax reddatur atque patenter appareat obserbatum, invalidandum est.

Ius divinum primum criterium constitutionis Iuris Canonici praestare debet, criteriis traditionis historicae atque sociologicis complendum. Et quidem, etsi Ius divinum sit immutabile atque criticae pastoralis non subiiciatur, tamen status Ecclesiae prout elementis humanis atque temporalibus pendet, evolutioni submititur; ideoque ipse Ius humanum Ecclesiae continua reformatione atque adaptatione indiget et de facto historice ita accidit²³.

5.—*De adaptatione Codicis Iuris Canonici ad Legis Novae naturam.*

Ex principiis theologicis ex Iure Divino Ecclesiae deductis, quae etiam naturam Iuris Canonici determinant, haec videntur dicenda:

1) In Iuris Canonici codificandi adaptatione, structura generalis ipsius, quae prout nunc est, ex Iure Romano derivatur, adaequanda erit triplici ordini actionum ecclesialium, si evidentiori modo dynamismum sociale Ecclesiae iure divino fundatum eique Ius Canonicum correspondentem apparere desideratur. Exempli gratia:

—De Verbo Dei eiusdemque praedicatione atque conservatione per Ecclesiam.

¹⁹ I-II, 107, 4.

²⁰ II-II, 147, 4 ad Ium.

²¹ III, 8, 6-7.

²² Confr., op. cit., p. 249-285.

²³ VIII SEMANA DE DERECHO CANÓNICO: Teoría General de la adaptación del Código de Derecho canónico (Bilbao 1961).

- De Ordine Sacramentorum eorumque celebratione.
- De Ministris Ecclesiae in officio pastorali constitutis:
 - Cura universalis Ecclesiae
 - Cura episcopalis.
 - Cura parochialis.
- De diversis statibus fidelium in Ecclesia:
 - De Religiosis.
 - De Laicis.
- De Iudicis
- De correctione fidelium per poenas, seu de poenis.
- De fidelium post mortem glorificatione per Ecclesiam.

Sub hoc aspectu clarius appareret coordinatio Ecclesiologiam inter et Ius Canonicum. Quod maximi momenti erit ad intentionem sic dictam 'oecumenicam', quod spectat.

2) Quoad leges codificatas praecise statuendum erit quid sit legis divini et legis humanae.

3) Ius divinum constitutionis Ecclesiae uniformitatem canonicam non postulat pro universis ecclesiis particularibus, quae diverso statu pro diversis rerum humanarum adiunctis inveniuntur; proinde quod minimum est tenendum quoad legum universalium atque generalium promulgationem. Unitas institutionalis Ecclesiae, atque ecclesiologice sufficiens, Ordine etiam institutionalis, convenienter conservatur; unitati autem canonicae momentum pastorale praevalere debet. Exoptandum proinde erit quod sicut quoad Missiones et quoad Ecclesiam Orientalem particulares constitutiones habentur, eadem via quoad alias res et provincias ecclesiasticas procedatur.

4) Verbum Dei ab Ecclesia anuntiandum statutis canonicis incrementum accipiat sive in celebratione liturgica, sive praedicatione, sive cathetice instructione.

5) Ius divinum de Episcopis exigit ut et ipsi appareant statutis canonicis tanquam veri et propii pastores in sua dioecesi constituti atque gubernantes. Item Ius divinum de Episcopis edocet regimen Ecclesiae sub Romano Pontifice collegialiter quodammodo constitutum esse; quod suis statutis Ius Canonicum exprimere posset. Concilium Oecumenicum est tantummodo ipsius extraordinaria manifestatio.

6) Ius divinum quoad comunitatem fidelium laicorum spectat exigit ut ipsorum positio in Ecclesia statutis canonicis quam maxime attendatur atque eorum activitas promoveatur, praecipue quae ad apostolatam refertur.

7) Institutiones canonicæ, etiam antiquis documentis fundatis atque traditis, cum pro temporis adjunctis ad necessitates pastorales Ecclesie non deserviant, inutiles evadunt nec codificari debent, quia applicari nequeunt ad influxum gratiæ, quæ est suprema lex. Proinde reformanda vel adaptanda sunt.

8) Intentio sic dicta 'oecumenica', quæ maxime his temporibus ab Ecclesia Catholica consideratur, etiam quoad Iuris Canonici revisionem prae oculis habenda erit.

M. USEROS

In Universitate salmanticensi professor